

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

— — — — —

DECRETUM

De typica editione Vaticana Gradualis Romani (i) .

Hanc Vaticanam Gradualis Sacrosanctae Ecclesiae Romanae Editionem, Sacra Rituum Congregatio, attentis atque confirmatis Decretis suis, datis diebus II et I4 Augusti anni 1905 (2), uti authenticam ac typicam declarat et decernit; quippe quae pro Missis de Tempore et de Sanctis, necnon et pro Missarum Ordinario, Cantum gregorianum exhibet, prout is fuit a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X feliciter restitutus, ipsiusque iussu et auctoritate diligenter ac rite revisus et recognitus. Ea quidem fuit totius operis norma, quam varia plane instituerant et iniunxerant documenta Pontificia, et perspicue rursus ac plenius exponit et inculcat Commentarium de ratione editionis Vaticanae Cantus Romani, quod Graduali praemittitur (3).

Haec autem Editio, ut in usum apud omnes ecclesias hic et nunc deveniat ita sancitum est, ut caeterae quaelibet Cantus Romani Editiones, ad tempus tantummodo iuxta Decreta praedicta toleratae, nullo iam in futurum iure gaudeant, **quo** typicae substitui possint (4).

Quo vero forma Cantus aptius posset restitui, restitutae

(1) Nuper in lucem prodiit ex typis Vaticanis (Romae, 1908) Graduale Sacrosanctae Romanae Ecclesiae de Tempore et de Sanctis SSmi D. N. Pii X Pont. Max. iussu restitutum et editum, cui addita sunt festa novissima (**N. R.**).

(2) Cfr. **Acta S. Sedis**, vol. 38, pag. 114 et 240.

(3) In fronte Gradualis extat praeivum commentarium, in quo redditur ratio laboris praestiti in hac editione curanda. Dein vero ut consulatur eorum commodis, qui libris choralibus usuri sunt, nonnulla addita sunt de notularum cantus figuris et usu, nec non de ritibus servandis in cantu Missae (**N. R.**).

(4) Editio Gradualis praescribitur omnibus ecclesiis ritus romani, non exclusis Regularibus; in posterum proinde quicumque liber Gradualis, qualibet etiam Pontificia approbatione munitus, sensim sine sensu et quamprimum amoveri debet a locorum Ordinariis (**N. R.**).

Decretum

sunt etiam nonnullae hic illic quoad verba lectiones, quamvis ab hodierno textu Missalis alienae. Quarum restitutio, quum ab ipso Summo Pontifice, in audientia die 14 Martii anni 1906 Emo Cardinali Pro-Praefecto huius Sacrae Congregationis indulta, expresse fuerit approbata atque praescripta, in futuris Gradualis Editionibus omnino erit observanda (1).

Iuxta tenorem quoque utriusque Decreti suprascripti, ad eos tantum editores seu typographos, quibus id a Sede Apostolica conceditur, pertinet privilegium evulgandi eundem Cantum, qui, quum sit vetus Ecclesiae Romanae patrimonium, eiusdem prorsus extat proprietas (2). Cautum est insuper, ne quid quovis praetextu editores praesumant addere, demere aut mutare, quod ipsius Cantus integritati atque uniformitati discrimen inferat. Qualiscumque igitur Editio Cantus gregoriani ad usum liturgicum destinata, ut sit legitima, et ab Ordinario queat permitti, debet esse typicae huic omnino conformis, quoad ea praesertim, quibus sive in praefatis Decretis, sive in alio diei 14 Februarii anni 1906 specialiter provisum est (3).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Augusti 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

(1) Ad servandam melodiae antiquae integritatem etiam textus liturgicus iuxta antiquos codices restitutus fuit. At quamvis nonnullae habeantur lectiones variantes inter novum Graduale et vetus Missale, tamen, usquedum aliter S. Sedes statuerit, nil prohibet quominus Celebrans submissa voce legat Missam iuxta textum Missalis, et cantores déchantent iuxta textum Gradualis (*N. R.*).

(2) Hinc etiam in fronte Gradualis legitur haec adnotatio diei 12 Martii 1908 : « Iuxta tenorem authenticorum decretorum, ius proprietatis sibi vindicat Typographia Vaticana. Privilegium typis evulgandi cantum, qui in hoc Graduali typico continetur, ad eos tantum editores seu typographos pertinet, quibus id a Sede Apostolica conceditur ; hoc tamen privilegio ipsis nullo pacto ius proprietatis confertur in hunc cantum » (*N. R.*).

(3) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 3g, pag. 53.